ſed certò ſtatuant, Dominum non modò preces noſtras, ſed gemitus etiam audire, & videre lacrymas: ſicut hoc loco dulciſſimè reſponſum Ezech. v. 5. *Audivi orationem, & vidi lacrymam tuam.* Quod etiam Pſaltes iiſdem prope verbis proponit, Pſal. 55. *Fugam meam numeraſti, &c.* Et Pſal. 102. 20. *Proſpexit de excelſo, &c.*

Orat. Funebr. IIX.

2. Reg. 22. &c.

Publicatio obitus Illuſtriſſimi Ducis WOLFGANGI PALATINI, &c. p. m. qui in Galliis anno 1569. die 11. Junii pie mortuus eſt, facta Biponti die 13. Novembr. Anno 1569.

Ex præſcripto Germanico Neoburgo miſſo.

Da Pater alme ut pia ſancti Dogmata verbi rite ſequamur.

Narratio de obitu VVolfgangi Palatini in Galliis anno 1569.

CARISSIMI in Domino Auditores, celare vos pio & Chriſtiano animo non poſſum, quòd hoc anno 1569. contigerit caſus triſtis & valde luctuoſus, in quo nobis omnibus maximum momentum ſitum eſt, nempe quòd DEUS Opt. Max. ex ſua incomprehenſibili ſapien-